

cius finis non quomodocumque, sed ut correlative, et commensurate se habet ad media, et ad alios effectus finalizatos a se, eo quod D. Thomas utrumque requirit ad perfectam cognitionem finis, scilicet quod cognoscatur ratio finis, et proportio ejus quod ordinatur ad finem, quod quidem cognoscitur, vel in ipso exercitio dum comparat unum alteri, et movetur de uno ad alterum, vel saltem potest sic movere, et cognoscere si velit.

LIV. Cæterum bruta ita cognoscunt bonitatem finis a quo moventur, et convenientiam mediorum ad ipsum, dum talia media quærunt, et apponunt, quod non cognoscunt illa ex comparatione et collatione unius cum alio, sed ex instinctu naturæ: sicut hirundo colligit paleam non solum quia videt colorem, sed quia cognoscit in ea utilitatem, et convenientiam ipsius pro constructione nidi. Non tamen istam utilitatem, et convenientiam elicit ex ipsis objectis per collationem, et comparationem inter se, sed ipso instinctu naturæ per species insensatas emissas ab objectis simplici representatione, cognoscit istas intentiones, verbi gratia, inimicitiam ut ovis in lupo, utilitatem ut hirundo in palea, et similia, quæ dicuntur rationes insensatæ. Sic ergo cognoscit per instinctum, et simplicem representationem bonitatem finis, et convenientiam medii, non autem cum collatione, et comparatione. Et hæc cognitio sufficit ad rationem voluntarii absolute, sed non perfecte.

LV. Ad id quod dicitur de principio intrinseco se movente, respondetur quod bruta se movent a principio intrinseco quantum ad elicentiam actus, quia vitaliter moventur; non tamen se movent quoad determinationem finis, et mediorum. Et cum non comparent, et

conferant objecta ipsa inter se, non possunt se movere ex uno objecto ad determinandum aliud, quod prosequendum est, cum non possunt talem determinationem ex ipsis objectis elicere, quia carent collatione et discursu, oportet quod accipiant illam per instinctum impressum ab auctore naturæ. Et ideo in determinando finem, vel media præcise moventur, et non se movent. Et quando D. Thomas dicit in loco supra citato in secundo contra gentiles, quod bruta non se movent, loquitur expresse de motione sui perfecta per liberum arbitrium, et collationem unius cum alio, ita ut habeant dominium sui actus; non de motione spontanea, et per instinctum; non de voluntario imperfecto, ut patebit legenti ipsum locum.

ARTICULUS III.

Utrum omissio possit esse voluntaria absque omni actu; et absque obligatione?

I. Variæ difficultates sub isto titulo comprehenduntur, quæ quia inter se connexionem habent, et affinitatem, et ex eisdem principiis resolvuntur, simul a nobis tractandæ sunt.

DUO NOTANDA.

II. Primum est, quid requiratur, et concurrat in omissione de qua tractamus in præsentibus, quæ scilicet spectat ad tractatum moralem: secundum quot modis dicatur voluntarium, quod in tali omissione reperiri potest.

III. Circa primum, in omissione de qua agimus in præsentibus concurrunt duo. Primum est ipsa cessatio

actus, et effectus ex illa secutus, verbi gratia, ex omissione gubernandi navem sequitur naufragium. Intelligitur autem cessatio actus privatio illius non quomodocumque causata, verbi gratia, ex aliquo impedimento extrinseco, quod in manu nostra non sit, verbi gratia, ex defectu concursus divini, vel ex defectu cognitionis, aut ex alio simili; sed causata ex ipsa voluntate, sic enim proprie dicitur omissio qualis in præsentibus consideratur, scilicet moralis. Secundo invenitur in omissione ista non solum cessatio ab actu, sed etiam ratio voluntarii, et ratio moralitatis, verbi gratia, quod omissio imputetur vel non imputetur ad culpam: hæc enim diversos respectus dicunt; nam voluntarium præcise respicit voluntatem, et cognitionem tamquam principia sui: imputabilitas vero superaddit obligationem, et præceptum contra quod fiat, quia ubi non est lex, nec prævaricatio.

IV. Potest autem cessatio actus tripliciter intelligi. Primo, per negationem omnis actus tam ex parte intellectus, quam ex parte potentiæ externæ. Secundo, cum aliquo actu, seu advertentia ex parte intellectus, sed cum cessatione actus ex parte voluntatis, et potentiæ externæ. Tertio modo potest voluntas omittere elicendo aliquem actum internum, vel etiam externum circa aliquod objectum, in quo voluntas occupata omittit circa aliud, sicut volendo ludere, aut etiam ludendo omittit audire missam, vel etiam ex aliqua alia occupatione obliviscitur audire; et sic est omissio consecuta ex tali occupatione, vel actu. Similiter circa actum externum potest aliquis puram omissionem externam habere, verbi gratia, dormire aut omnino otiosum esse, licet habeat internum actum, quo vult dormire, aut otiosus manere.

V. Secundum quod notamus est, quod voluntarium in præsentibus multipliciter distingui solet, videlicet voluntarium formale, virtuale, vel interpretativum. Item voluntarium directum, vel indirectum: implicitum, vel explicitum. Et aliqui confundunt in istis divisionibus rationem voluntarii, cum ipsa ratione voliti, quæ tamen distinguenda sunt. Et ita nos dicimus, quod in linea, et ratione voluntarii dicitur voluntarium directum ratione positivæ influentiæ voluntatis in aliquem actum, vel effectum, quatenus scilicet vere, et positive aliquid a voluntate procedit: voluntarium indirectum est illud, quod realiter, et positive, seu physice a voluntate non procedit, est tamen voluntas in tali dispositione, quod posset, vel deberet ab illa procedere, et sic supponit voluntatem cognitione esse præventam, ut si videns aliquid fieri non vult impedire, et præsertim si habet obligationem, quia ratione obligationis res illa pertinet ad se, et moraliter censetur a se procedere, si obligatur ut procedat: et hoc ipsum dicitur voluntarium interpretative, et virtualiter, quia licet de facto non procedat a voluntate, procedit tamen in virtute, et in debito, quia deberet procedere ex vi obligationis; et ratione talis debiti seu obligationis interpretatur, seu explicamus talem fuisse voluntatem (nisi oppositum expresse velit) quia talis esse deberet, et in virtute, seu dispositione volendi talis est: ut patet in epikia per quam interpretatur legem non juxta id quod significat, et sonat, sed juxta id quod voluisset legislator, si talis casus ei occurrisset: nec enim præsumitur, nec interpretati potest, quod aliquis velit nisi id quod debitum est.

VI. At vero considerando ista, non in ratione voluntarii, id est, procedentis a voluntate, sed in ratione,

et linea voliti, hoc est, objecti affecti a voluntate, dicitur volitum directum, vel indirectum, non penes carentiam vel non carentiam actus, vel influentiæ voluntatis in aliquid, sed penes ipsum ordinem in attingendo objecta volita, quando enim attingitur objectum aliquod immediate, et in se, dicitur attingi directe. Quando autem attingitur mediate, et ut contentum, vel consecutum ad aliud, dicitur attingi indirecte, seu virtualiter, et implicite, quia mediante alio prius volito attingitur, sicut vult directe, et implicite homicidium, si ex tali ebrietate sequeretur. Et qui vult comprehendere furem, vult etiam ejus mortem seu supplicium implicite, et in causa. Non tamen semper prævidetur damnum exinde sequendum in se ipso, sed in sua causa in qua tenetur illud prævidere, et sic moraliter censetur prævidisse secundum debitum et obligationem, quia ad id tenetur.

QUID SIT IN HAC PARTE CERTUM, ET IN QUO SIT DIFFICULTAS?

VII. Certa sunt in hac parte tria. Primum est, quod si removeatur omnis actus circa aliquod objectum, tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis, non potest intelligi omissio circa tale objectum voluntaria. Patet, quia non est cognita, sed pure ignorata ignorantia invincibili, et antecedente: hoc enim est removeri omnem actum intellectus, quia remoto omni actu nulla manet cognitio, si quidem cognitio aliquis actus est, ergo manet totaliter ignorata etiam antecedenter. Ignorantia autem antecedens, et totalis tollit rationem voluntarii, quia voluntarium debet esse cum cognitione finis: et ita carens omni actu non mutat voluntatem, nec habet illam

aliter affectam nunc quam ante; ergo non magis datur voluntarium nunc quam antea.

VIII. Similiter per aliud extremum, si omissio non solum sit cognita ab intellectu, sed etiam affecta, et volita directe per voluntatem, quantumcumque non detur obligatio, vel præceptum, erit voluntaria. Patet, quia procedit a voluntate cum cognitione finis; ergo est voluntaria. Consequentia patet ex ipsa definitione voluntarii. Et antecedens constat, quia est cum cognitione finis, si quidem omissio illa est cognita, ut supponitur, et a voluntate procedit, quia vult omittere, et de facto ex tali voluntate non facit, sed se detinet; ergo ex tali voluntate procedit illa omissio, et illud non facere, etiamsi alias præceptum non habeat, neque obligationem faciendi: sicut qui videt periclitari navim, et non vult ire ad succurrendum illi directe id volendo, etiamsi ad ipsum non pertineat, tamen per suam voluntatem se detinet, ergo voluntarie non succurrit; et sic omissio non succurrendi ex voluntate procedit, non naturaliter id fit.

IX. Dices: Qui videt rixam, et domi se continet, nec vult succurrere, non dicitur velle mortem alterius, nec mors secuta ex rixa est illi voluntaria, si ex officio non tenebatur succurrere, et ita nullam incurrit irregularitatem ex tali omissione. Et similiter qui videt furem accipere rem alienam, et non succurrit (dummodo non teneatur ex officio) non dicitur furari, nec tenetur ad restitutionem: ergo non sufficit omissionem esse volitam directe tamquam objectum, ut dicatur voluntaria, id est, procedens a voluntate, nisi adsit obligatio.

X. Respondetur aliud esse loqui de omissione ipsa, id est, de negatione operandi, et non succurrendi in illis casibus, aliud de effectu per accidens

secuto, quia scilicet, si non omittet succurrere, non sequeretur mors alterius, quæ tamen secuta est ex aliorum actione. Quod attinet ad ipsam omissionem sufficit ad hoc, quod voluntaria sit, quod a voluntate procedat, si quidem hoc ipso, quod voluntas advertens vult non operari, negatio illa operationis causatur ex tali voluntate. Cæterum effectus illi secuti ex aliorum actionibus non procedunt ab ista omissione, nisi talis omittens sit obligatus ad succurrendum: omissio enim non influit physice in illum effectum positivum, quia negatio non potest physice influere in id, quod positivum est. Si ergo influit, solum est moraliter, scilicet ratione alicujus debiti, seu obligationis ad impediendum illum effectum, quia si datur obligatio ad impediendum, et non impediatur, hoc ipsum est moraliter influere in effectum. Quo influxu morali sublato, effectus secutus ex aliorum actione non impedita, non procedit a tali omissione, nec physice, quia effectus positivus est, neque moraliter, quia removetur influxus moralis, manet tamen omissio illa voluntaria, quia ut negatio operandi est, habet aliquam causam sui; et hæc est ipsum subjectum omittens, quod voluntate sua vult omittere, et consequenter voluntate sua causat omissionem, non tamen effectum illum, qui stante omissione causatur non ex influenza omissionis, seu omittentis, sed ex aliorum actionibus, verbi gratia, mors vel furtum ab aliis causis, quas omisit impedire.

XI. Secundo suppono ex his quæ latius disputari solent infra quæst. LXXI, art. v, quod voluntas stante advertentia intellectus, et non denegante Deo suum concursum, non potest ab omni actu collective se suspendere, ita ut habeat puram suspensionem physicam ab omni exercitio

actus, nec eliciendo illum circa objectum propositum, nec divertendo ad aliud, seu movendo intellectum, ut aliud proponat, aut continuando quod inceperat velle. Quando ergo dicimus, quod voluntas potest velle et non velle, seu suspendere volitionem, intelligitur divisive, quia potest hunc actum, vel hoc objectum relinquere: sicut materia prima potest quæcumque formam exuere divisive, non tamen omnes collective. Et in hoc est diversitas sententiarum.

XII. Nam quidam putant pertinere ad libertatem, quod possit voluntas se suspendere ab omni actu collective etiam existente cognitione objecti, et in vigilia, quia non est aliquid, quod cogat voluntatem elicere aliquem actum, cum circa totam collectionem objectorum extra visionem beatificam libera sit, ergo a tota collectione objectorum, et actuum potest abstinere. Sed hæc ratio non multum cogit, quia voluntas non cogitur ab aliquo objecto intra totam suam collectionem præter visionem beatificam, quia circa quodlibet objectum divisive potest operari, vel sequendo, vel relinquendo illud, non tamen a tota collectione se suspendendo, sicut de materia prima erga formas dictum est; hoc enim sufficit ad verificandum, quod nihil est in tota collectione objectorum, quod possit cogere voluntatem, sed quolibet objecto proposito, potest illud relinquere se divertendo ad aliud: quod vero possit etiam non divertendo ad aliud, sed omnia relinquendo se suspendere, hoc non requiritur ad verificandum, quod a quolibet objecto non possit cogi; ergo neque requiritur ad verificandum, quod detur libertas a tali coactione.

XIII. Unde est alia sententia verior, non posse voluntatem exercere suam libertatem per puram suspen-

sionem actus, neque ad rationem libertatis id pertinere, sed solum suspendi posse omnem actum voluntatis, quando intellectus non cognoscit, sed quasi dormit: ipso vero vigilante, et proponente objectum non potest voluntas cessare ab omni actu, licet possit divertere intellectum, et imperare, ut aliud objectum proponat. Et ratio est, quia si voluntas cesset ab omni actu, manebit velut mortua in actu secundo, quia caret, et cessat ab omni actu secundo; ergo etiam caret omni libertate in actu secundo, et ab omni exercitio libero. Patet consequentia, quia libertas est modus, seu perfectio vitalitatis, nec enim libertas convenit nisi viventi; ergo eo modo, quo removetur vitalitas, removetur et libertas: ergo si removetur omne exercitium, et operatio vitalis in voluntate, etiam removetur omne exercitium libertatis, et sic per talem suspensionem, solum manebit voluntas libera in potentia, et in actu primo, non autem se suspendet libertate in exercitio, quia nec vitalitate in exercitio; et sicut non datur vitalitas negativa, ita nec libertas negativa.

XIV. Itaque proposito objecto per intellectum, vel voluntas se determinat ad velle, aut nolle; vel nullo modo se determinat, sed manet sicut antea in ipsa pura indifferentia potentiae ad velle et nolle; aut datur tertia determinatio negativa, scilicet nec velle, nec nolle, sed suspendere tam velle, quam nolle. Si primum, illa determinatio est per aliquem actum, quia tam volitio, quam nolitio, actus sunt, volitio prosequendo, nolitio fugiendo. Si secundum, non datur exercitium libertatis, nec suspensio actus, sed mera, et nuda potentia, sicut quando producit, et infunditur anima corpori, non recte dicitur suspendere illa potentia voluntatis (cum qua creatur anima) actus suos, sed nudam poten-

tiam cum anima creari. Suspendere autem actus, seu retrahere influxum voluntatis, plus dicit quam nudam, et indifferentem potentiam, quia potentia ipsa indifferens est ad agendum, et non agendum, suspendendum, vel non suspendendum operationem. Si tertium, illa negativa determinatio, non potest intelligi, quod sit libera in exercitio (esse autem liberam in potentia non sufficit ad actum suspendendum, quia potentia est indifferens ad suspendendum, vel non suspendendum in exercitio) quia exercitium libertatis est exercitium quoddam vitalitatis; non datur autem vitalitatis exercitium negativum, scilicet non movere, sed detinere omnem motum vitæ: ergo neque datur exercitium libertatis. Patet consequentia, quia libertas intrinsece est modus vitalitatis, et essentialiter supponit vitam intellectualem, sicut risibile est passio rationalis. Unde sicut non potest dari risibile non rationale, sic neque liberum non vitale, seu mortuum. Ergo tam repugnans est dari exercitium negativum libertatis, seu suspensivum, sicut repugnat exercitium negativum vitalitatis: illa enim pura suspensio est negatio omnis actus vitalis, et sic est manere potentiam quasi mortuam, quod utique non est in manu vitalis potentiae, quia dum vivit in eo genere vitæ, in quo est, aliquem motum edit, nisi impediatur extrinsece, sicut in somno.

XV. Nec potest suspendere voluntas influxum suum absolute, et quoad omnes actus, licet circa quodlibet objectum divisive possit. Et sic dicitur aliquis suspendere iudicium suum, aut resolutionem suam circa aliquid, mediante tamen aliquo alio actu, vel quia divertit ad aliud objectum, et aliud in particulari relinquit, vel quia habet expresse, et determinate actum differendi, et

suspendendi resolutionem circa aliquod objectum, et tunc non caret omni actu. Similiter potest Deus suspendere influxum suum circa creaturas, et annihilare omnes, sed hoc est suspendere actionem ad extra, non volitionem ad intra, quia illa suspensio est volita a Deo; seu creaturæ illæ sunt nolitæ.

XVI. Ultimo, certum est in hac parte, quod omissio, ut sit imputabilis ad culpam, sive in se, sive quoad effectum, aut damnum secutum, non sufficit quod sit voluntaria, seu procedat a voluntate, sed requiritur etiam quod adsit obligatio, seu præceptum, quia non potest imputari ad culpam, nisi detur transgressio, et prævaricatio: *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio.* Ratio autem voluntarii formaliter (ut diximus) non sumitur per ordinem ad præceptum, seu legem obligantem, sed ex ordine ad voluntatem efficientem cum cognitione proponente.

XVII. Difficultas autem tota versatur circa voluntarium indirectum, quando scilicet omissio non sequitur, nec dimanat, aut procedit ex volitione sui, sed ex volitione alterius rei. Et tunc est dubium in tribus. Primo, an requiratur aliquis actus, ut omissio sit voluntaria; an vero ex ipsa negatione actus reddatur voluntaria. Secundo, an saltem requiratur aliqua obligatio ad hoc, ut omissio sit voluntaria indirecte, et in alio, ita quod non dicatur indirecte voluntaria, nisi quando voluntas potest, et tenetur, et non facit: et sic obligatio sit conditio requisita, ut omissio sit voluntaria. Tertio, an saltem ut effectus ex omissione secutus voluntarius sit, requiratur obligatio. Et loquimur solum de voluntario indirecto, quia si omissio est directe voluntaria, cum ipsa immediate non procedat a voluntate, quia negatio est, in tantum proce-

det directe, in quantum fuerit directe volita in se, et tunc jam est voluntaria, quia est a voluntate, seu a persona volente ipsam. Et idem est de effectu secuto ex omissione, si sit directe volitus.

RESOLUTIO PRIMÆ DIFFICULTATIS.

XVIII. Circa primum dubium oritur ratio dubitandi præcipue ex diversis dictis D. Thomæ quæ inter se videntur pugnare. Nam ista quæst. VI. a. III dicit: « Quod voluntarium potest esse absque omni actu, tam exteriori quam scilicet interiori, cum non vult. » At vero infra q. LXXI, a. V dicit: « Quod si in peccato omissionis consideretur id, quod per se pertinet ad rationem peccati, sic aliquando est omissio absque omni actu tam interiori, quam exteriori, ut cum aliquis nihil cogitat de eundo ad ecclesiam hora qua tenetur. Si vero in peccato omissionis intelligantur etiam causæ, vel occasiones omittendi, sic non est omissio absque aliquo actu. » Quomodo hæc duo stare possunt, quod omissio voluntaria sit absque omni actu, et quod non possit stare absque aliquo actu?

XIX. Nihilominus ex hoc ipso loco colligimus nos mentem D. Thomæ et nostram resolutionem. Dicitur enim, quod omissio voluntaria considerata ex specie sua, et ut se habet per modum operis, seu potius non operis, non constituitur, nec requirit, aut includit actum aliquem, neque interiorem, neque exteriorem. Si vero consideretur in ipso exercitio, et ex parte operantis, sic requirit actum, non qui constituat, sed qui sit causa, vel occasio emissionis. Atque ita voluntarium in omissione, ex sua specie non requirit actum, bene tamen ut exerceatur in individuo. Et D. Thomas in hac quæstione sexta loquitur de volunta-